Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8377
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

illud quod per homines gestum
nisi assit intentio baptisantis
Utrum alter non salvetur nisi
sit intentio in ministro dicendum
quod si adultus baptisatur ut de-
bet fides interior supplet. In
parvulis pium est credere quod si-
militer sacerdotes supplet. Si tamen
non sufficiat iste fiat et
nos incertos esse voluit de
salute ad deponendam superbiam
et excitandum diligentiam ut
attentius et apertius dignioribus
et senioribus requiratur credendum
vel quod deus revelet vel quod in-
tegre supplet nisi peccata
nostra impediant hec. Bonaventura. Hoc
autem quod dictum est supra
quod si adultus baptisatur fides
interior supplet si parvulus pium
est credere quod Christus supplet
aliquibus ut Thome non pla-
cet dicit enim et si hoc satis
dici posset quo ad ultimum ef-
fectum qui est iustificatio
a peccatis, quo tamen ad caracterem
non videtur quia caracter num-
quam imprimitur nisi per sacramentum
sed ei videtur quod ultimus effec-
tus bene sufficit ad salutem
deus etiam sine sacramento
bene posset imprimere caracte-
rem. Utrum actualis inten-
tio requiratur in ministro. Respondeo
secundum Scotum preter inten-
tionem actualem probo. Ali-
quis in principio intendens
dicere missam postea aut ad
alia distrahatur non habet
intentionem actualem dum est

distractus nec tamen habet inten-
tionem habitualem quia etiam
dormiens talem habet. habet
etiam actum inclinantem ad ta-
lem actum habet ergo se me-
dio modo quia medius modus
dici potest intentio virtualis
quia in virtute alterius intentionis
habite prius actualiter facit
omnia que facit tamquam extra-
dite. Dicendum ergo quod in bap-
tisante non sufficit sola inten-
tio habitualis quia propter illam
solam non dicitur actus hu-
manus nec requiritur semper
intentio actualis quia non ob-
ligat hominem deus ad impos-
sibile vel nimis difficile. Communiter
est non distrahendi animum quia
secundum Augustinum non est in po-
testate nostra quibus visis tan-
gamur sed sufficit intentio vir-
tualis scilicet quod aliquis habuit in-
tentionem actualem sine non
et intelligo quod descendat actus
ille sine omni motu voluntatis
de novo interveniente. Hec Scotus.
Tamen secundum Richardum si baptisans non
sit diligens in applicando in-
tentionem suam sed quod de-
cet ad ipsum actum non excu-
satur a peccato. Utrum si quis pu-
tet baptisare puerum masculum
cui imponet nomen Petri cum
tamen sit puella numquid ille bap-
tismus carebit effectu. Respondeo
secundum Hostiensem aut intendit bap-
tisare personam cuiuscumque sexus
esset et sic esset baptisata. Aut
intendit tamen baptisare marem.